



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 224. Dicens: Eli, Eli Iamma Sabachthani. hoc est; Deus meus Deus meus
vt quid dereliquisti me. v. 46.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Domine exaudi orationem meam & clamor meus ad te veniat, debet vero hic clamor cordis esse potius quam vocis, siquidem *in Dei auribus*, inquit Bernardus, *desiderium vehemens est clamor magnus, & contra, remissa intentio vox submissa*: & August. *Cum oras clama, non voce sed mente*. Hoc clamore orauit Moyses Exod. 14. sine omni voce & auditus est cum è contra populus clamans à Deo non audiretur.

Exaudi igitur Deus orationem meam cum deprecor à timore inimici eripe animam meam, siue voce siue corde orauero, *intende anima mea & libera eam, in omni tribulatione & angustia sua*, sicut exaudisti orationem filij tui, licet indignus ego peccator, non merear tantam gratiam, sed ob peccata potius iram & indignationem, quia tamen conuersus sum ad te per tuam gratiam, noli me despiciere opus manuum tuarum, nullum enim despicias peccatorem quantumuis foetidum, si ad te suspirauerit, si clamore valido, & lacrymabili veniam & misericordiam à te petierit, dixisti enim: *in quacunque hora peccator conuersus egerit pœnitentiam, & ad te suspirauerit omnium iniquitatum eius quas fecerit non recordabor: & si quid patrem petierimus in nomine tuo, Christe, dabit nobis*: Exaudi igitur Deus orationem meam cum deprecor, quia semper in nomine filij tui dilectissimi preces meas effundam, ut viuam.

§. 224. *Dicens: Eli, Eli lamma Sabachthani. hoc est; Deus meus Deus meus vt quid dereliquisti me. v. 46.*

Ad quid clamabat, & dicebar: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Sane si perpendisses quæ præcesserunt, & istis multo plura, non quæreres. desolata erat natura humana & omni destituta solatio in fine vitæ, clamat in angustijs ad Deum patrem, quasi amice quiritando quæ pateretur, & in testimonium veritatis naturæ, & in omnium Christi fidelium exemplum, vt quando ita omni solatio destituimur siue in corpore, siue in anima, non desperarent, sed recursum facerent ad Deum, cum omni fiducia & patientia, continuo deprecantes eum, donec complacere aufferre ab afflictis dolore, scit enim pater noster qui est in cœlis quid nobis conducatur ad salutem, nec sinit nos tentari & affligi super id quod possumus. Habes hic igitur anima desolata spectaculum, habes natatoriam Siloe, in qua te laues, nempe Dei filium dolorosum in Cruce pendentem; tanquam speculum virtutis ob oculos positum; eius verba & doctrinam in auribus veluti organum & tanquam florem, applicatum odorati, & tanquam cibum appositum appetitui, ut videns & tangens qui filio suo ob maiorem eius gloriam & bonum publicum non peperisset pater, non indigneris te proditoris Adæ filium non confestum exaudiri, donec uti ille completis omnibus, quæ ad salutem

V

animarum

animarum & eius gloriã spectarēt, eriperet eum & glorificaret. Hoc SS. inculcant, dicentes: *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius*, quantum enim miserabiliter tractus est à ludæis! quam dire flagellatus, coronatus, deangustatus, clavis cruci affixus, pendens eum cruce proiectus ad fossam crucis præparatam, ita vt omnia membra & vulnera conquaterentur, & renouarentur, quasi vltimam sanguinis guttam elicerent, & tunc quid aliud auditam ab ipso, filio Dei, homine passibili, & passio? aliud nil quam *Deus meus Deus meus* quasi diceret, etiamsi tam omnia tormenta, Martyria, pœnæ conspirarint in me, non tamen desperabo, sed clamabo ad te Deus meus, qui neminem desolatam relinquis, teste te ipso mi pater, qui dixisti, *quis sperauit in me & confusus est?*

Hæc verba testamenti Christi Domini nobis esse deberent ut signaculum super cor, in vita & in morte, vt cum persecutionem patimur ab homine, mundo, carne, diabolo, aliud ex ore nil procedat quam eleuata mente ad Deum dicere: *Deus meus, Deus meus.*

§. 225. *Quidam autem illic stantes & audientes dicebant: Eliam vocat iste. v. 47*

Vide anima mea, etiam Deum suum, sine noua contumelia, non potest inuocare Dominus tuus. nam aliqui astantium non intelligentes verbum hoc Hebraicum *Eli Eli Lamma Sabacthani*. Vel probè intelligentes sed ex nequitia volentes pietatem conuertere in risum, confinxerunt scandalum & iocabantur in verbo Eli, quasi Christus non Deum, non Abraham, Isaac vel Iacob defunctos in Dei gratia, & à ludæis inuocari assuetos, sed adhuc viuentem Eliam inuocaret, arguentes: si Eliam prophetam virum sanctum & miraculis plenum vocat iste in subsidium, profecto seipsum per se non potest inuare, & per consequens Dei filius non est, nec verus Messias, sed deceptor & Dei inimicus, imo impius, qui & Deum & sanctos asperratus unà solos homines viuos in auxilium suum conatur euocare. Vide igitur hic ingenium reproborum, qui quæ audiunt bona & salutaria, ipsi in reprobum trahunt sensum & risum & casta detorquent in sensus luxuriosos, dixerat enim Christus, *Eli Eli lamma Sabacthani, id est Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me: & ecce isti scurræ, Eliam confingunt: Ita verba salutis, quæ seria sunt bonis, reprobis sunt ludus & iocus. Sed quanto his deterior Caluinus Heresiarcha nostri temporis, qui impijssimè blasphemat quasi, in hoc verbo, Christus desperarit. O linguam nequam, linguam præcidendam & non amplius cauterio dignam, linguam minutatim scindendam, & extra mundum in nihilum proijciendam, vt linguam Nicanoris*

2. Mach, 15.